

viuere cepit, vita ipsa desit. Sed nos oblitterata quoque scrutabimur. Nec deterrebit quarundam rerum humilitas, sicut nec in animalibus fecit. Quamquam videmus Virgilium præcellentissimum vatem, ea de causa hortorum dotes fugisse: è tantisq; quæ retulit, flores modorum decerpisse, beatum felicemq; gratiæ xv. omnino generibus vuarum nominatis, tribus oleæ, totidem pirorum, malo vero tantum Assyrio, cæteris omnibus neglectis. Vnde autem potius incipiemus quam à vitibus? quarum principatus in tantum peculiaris Italiæ est, vt vel hoc vno omnia gentium vicisse, quamquam odorifera, possit videri bona: quamquam vbiq; pubescentium odori nulla suauitas præfertur.

De vitium natura, & quibus modis ferant.

CAP. I.

**V**ites iure apud priscos magnitudine quoq; iter arbores numerabantur. Iouis simulacrum in vrbe Populonia ex vna conspicimus, tot eius incorruptum. Item Massiliæ pateram. Metapoti templum Iunonis vitigineis columnis stetit. Etiam nunc scalis tetum Ephesiæ Dianæ scæditur vite vna Cypria, vt ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinẽ exeunt. Nec est ligno vlli æternior natura. Verum ista ex syluestribus facta crediderim, quando hæc vites tonsura annua coercentur, & vis carum omnis euocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, succiq; tantum gratia ex his pluribus modis ad cæli mores soliq; igenia. In Campano agro populis nubunt: maritimasq; complexæ, atque per ramos earum procacibus brachijs geniculato cursu scandentes, cacumina æquant, in tantum sublimes, vt vindemiator autoratus rogum ac tumulum excipiat. Nullo sine crescunt, diuidiq; aut potius auelli nequeunt. Villas & domos ambiri singularum palmitibus, ac sequacibus loris quoq; memoria dignum inter prima Valerianus quoq; Cornelius existimauit. Vna vitis Romæ in Liuiæ porticibus subdiales inambulationes vmbrosas pergulis opacat, eadẽ duodenis musti amphoris fecunda. Vltimos quidem vbiq; exuperant. Miratumq; altitudinem earum Aricie ferunt legatum regis Pyrrhi Cyneam facete luisse in austriorem gustum vini, merito matrem eius pendere in tam alta cruce. Rumbotinus vocatur & alio nomine populus arbor Italiæ Padum transgressis, cuius tabulata in orbem patula replent: puroq; producto dracone in palmam eius, inde in subrectos ramorum digitos flagella dispergunt. Eadem modici hominis altitudine adminiculatæ sudibus horrent, vineamq; faciunt, & alia improbo reptatu pampinorumq; superfluitate peritiam domini amplo discursu atria media complentes. Tot differetias vel sola tantum Italia recipit. Stat pro uinciarum aliquarum per se vitis sine vlllo pedamento, artus suos in se colligens, & breuitate crassitudinem pascens. Vt autem hoc aliubi venti, vt in Africa & in Narbonensibus puincia partibus. Excrescere ultra suos pollices prohibita, semperq; pastinatis similes, herbarum modo vagantur per arua, ac succum terræ passim

uis bibunt, quæ ob id magnitudinem infantium puerorum in interiore Africa parte exuperant. Vna non aliubi gratior callo, vt inde possit inuenisse nomen duracina. Namq; genera magnitudine, colore, saporibus, acinis, innumera etiamnum multiplicatur vino. Hic purpureo lucent colore, illic fulgent roseo, nitentq; viridi. Candicans enim nigerq; vulgares. Tument vero mammaram modo bumasti. Prælongis dactyli porriguntur acinis. Est & illa natura lasciuia, vt prægrandibus abhæreant parui, mites, & suauitate certates: leporagas has vocant. Durat alia per hyemem, pensili concamerata nodo. Alia in sua tantum continentur anima ollis fictilibus, & insuper dolys inclusa, stipata vinaceis circumsudantibus. Alijs gratiam qui et vinis fumus affert fabrilis, ijsq; gloriam præcipuam in fornacibus Africa Tiberij Cæsaris autoritas fecit. Ante eum Rheticis prior mensa erat, & uis Veronensium agro. Quin & à patientia nomen acinis datur passis. Conduntur & musto vna, ipsaq; vino suo inebriantur. Alia decocta in musto dulcescunt, alia vero sobolem nouam in matre ipsa expectant traslucida vitro: additq; acinis eandem, quam in dolys amphoris duratricem illam firmitatem austeritas picis infusa pediculo. Iam inuenta vitis per se in vino picem respiciens. Viennensem agrum nobilitans, Aruernum Secanoq; & Heluico generibus non pridem illustrata. Atque hæc virgilij vatis ætate incognita, à cuius obitu xc. aguntur anni. Quid quod inserta castris summam rerum imperiumque continent? Centurionum in manu vitis, & opimo premio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis penam ipsam honorat. Necnon vineæ oppugnationum dedere rationem. Nam in medicaminibus adeo magnum obtinent locum, vt per sese vino ipso remedia sint.

De generibus vitium.

CAP. II.

**G**enera vitium numero comprehendere posse vnus existimauit Democritus, cuncta sibi Græcia cognita professus. Cæteri innumera atq; infinita esse perdidit, quod verius apparebit ex uinis. Nec omnia dicuntur, sed maxime insignia, quippe quæ totidem pene sunt quot agri. Quamobrem celeberrimas vitium, aut quibus est aliqua proprietate miraculum, ostendisse satis erit. Principatus datur aminæis propter firmitatem, senioq; proficientem vini eius ubique uitam. Quinq; earum genera. Ex ijs germana minor acino melius deflorescit, imbres tempestatesq; tolerat. Non item maior, sed in arbore quam in iugo minus obnoxia. Gemellarum, quibus hoc nomen uua semper gemina dedere, asperimus sapor, sed uires præcipue. Ex ijs minor austro læditur, cæteris uetis alitur, ut in uesuio monte Surrentinisq; collibus. In reliquis Italia partibus non nisi arbori accommodata. Quintum genus lanata, ne Seres uideantur aut Indos, adeo lanugo eam uestit. Prima ex aminæis maturescit, ocysimeque putrescit. Proxima dignitas Nomentans

p. iij rubente